

*pittura, e sculture de Sacri Cimiteri*, in alio principis Auximani templi, quem in Francisci Antonii Zaccaria *Excursibus litterariis per Italiam* evulgatum habemus, uti et in TI CORCONII sarcophago, quem in Ancunitana cathedrali asservatum prolixo commentario Joseph Bartholus illustravit, historia magorum representatur. In his porro sarcophagis, uti et in veteri nummo olim cardinalis Boncompagni, exhibentur magi capitibus operis pileo phrygio, quem Tertullianus lib. *De orat.*, cap. 12, *tiaram* appellat. Hoc enim vero capitis tegumentum visum fuit Harduino *rusticanum*, et reliquum quo sculptoribus eos induere placuit, vestis genus *plebeium*. Sed nimis delicatus fuit Harduinus, qui apparatus regium in magis, si reges fuissent, postulabat; quum illi ut itinerantium, qui ab omni pompa abstinentium sibi sapienter censuissent, ne forte adventu suo et inopinato in Judæam ingressu, Herodes rex turbaretur, ferebat habitus, cælati a sculptoribus fuerint. Ad capitis vero tegmen quod spectat, illo ipso cum Paridem in antiquis marmoribus, tum Priamum in picturis codicis Virgiliani Vaticanani usos videmus. Cæterum non satis ex criticæ artis legibus pronuntiavit Harduinus, certius laudati nummi, quem Tristanus ante eum vulgaverat, quam nostrorum sarcophagorum *testimonium* esse. Ille enim nummus, ut antiquissimus sit, ad summum XI. sæculo vetustior non est. Neque illud probarim, quod idem Harduinus ait, eundem nummum *cusum fuisse sæculo ut cum tardissime XIV. ineunte*. In hoc certe vir doctus fallitur quod non animadvertit, nulla potuisse ratione nummum illum XIV. sæculi initia attingere. Servatoris enim effigies, uti in antiqua parte proponitur, XI. sæculum indicat; deinde XIII. et insequentibus sæculis non pileum phrygium, sed coronas magorum capitibus impositas fuisse, quin etiam unum ex illis Æthiopiæ facie passim a pictoribus atque sculptoribus exhibitum, testator res est, quam ut illam Harduinus ignorare potuerit.

(3. Magi non ab arte magica, aut ab astrologia judiciaria, quam professi fuerint, ut aliqui putant, sic sunt appellati, sed quia erant philosophi astrorum scientiæ peritos; unde ex hac siderum cognitione, visa stella in Oriente: *Vidimus enim stellam ejus in Oriente* (Matth. II), dixerunt ad invicem; hoc signum magni regis est, eamus, et afferamus ei munera, aurum, thus, et myrrham. *Ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Ubi est, qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare Dominum.* (4. Quid enim stella illa fuerit, variant auctores. Verisimilior tamen sententia est, quæ tradit sidus illud meteoræ genus fuisse clarissima luce coruscans, quod angelus in astri figu-

ram formaverat, quodque suspensum in media aeris regione ab Oriente ad Occidentem movebat ad demonstrandum magis iter, uti de columna nubis narratur, qua Judæi ducti sunt per desertum; seu etiam astrum fuisse tum primo creatum; non illud quidem in cælo, sed in aere non longe a terra, quod nutu Dei moveretur antecedendo magos, usquedum veniens staret supra, ubi erat puer. Sic docet S. Thom., III. par., q. 35, art. 3, cit. et secut. a Lambertin. *De festis*, n. 31, et ab aliis communis. \* 2. De stella magorum duce plures a Joanne Andræa Schmid, in supplementis ad Sagittarii introductionem tom. XI, p. 34, indicantur protestantium de illa dissertationes, ejusmodi sunt Joann. Frider. Frenzel dissertatio inscripta: *Stella nati Jesu a magis visa*, et Eliæ Bertrandi *observationes, quibus Jacobi Elsneri dissertatio apologetica de stella solis Magis visibili modesto examini subjicitur*. \*

(5. An magi sexta Januarii die Bethlehem venerint Christum adoraturi? Relictis aliquibus contrariis opinionibus, communis sententia est, quod d. sexta die Jan., tert. decima post Christi nativit. Magi Bethlehem ad Christum adorandum petiverint. \* 3. Non solum tamen Joannes Clericus, et Samuel Basnagius, sed etiam Richardus Simon, cum in gallica Novi Testamenti versione, et in notis ad caput XI. Matthæi; tum in dissertatione, quæ exstat in ejus *Bibliotheca critica*, ausus est inficiari fuisse Jesum a Magis ut Deum adoratum. Eos porro refellunt Benedictinus D. Liron t. I operis prænotati *Singularités historiques et littéraires*, p. 181, 222, ubi et aliqua de magorum nominibus adversus Tillemontium adnotat, Honoratus a S. Maria t. XI *Aniadv. in Reg. critic.*, lib. III, diss. 4, artic. 5, et P. Liberatus Fassoni, in dissertatione *De cultu Jesu Christo a magis adhibito*; Romæ 1756, de qua dissertatione conferri poterunt Zachariæ *Annales litterarii Italiæ* t. I, p. 11, pag. 51, seqq., \* et munerandum pervenissent. Sic laudat Lambertin., l. c. n. 61, allegans ad id S. Thomam, Baronium, Canum, Suarez, Raynaldum, Grævesonum, Card. Gottum, Honoratum a S. Maria, Sandinum, et Ayalam, et ibidem n. 67, ostendit facillime potuisse ipsos tali die Bethlehem pervenire; cum Arabia Felix, e qua profecti sunt, distet solummodo octo dierum itinere ab Hierosolyma; sicque potuisse commode parare aurum, thus, et myrrham, aliaque itineri necessaria, et Hierosolymis aliquantum immorari, ut demonstrat Petrus de Marca, in opusculo *De adventu Magorum* a Balusio edito; et ad id præsertim adhibitis pro itinere juxta Isaiæ oraculum velocissimis dromedariis, ut recte advertit Baronius *ad annum Christi* 1, n. 34, ibi: « Quod quidem haud mirum videri debet, si ex Arabia Judæam adjacente, quod superius demonstravimus, advenisse dixerimus, et ut Propheta prædixerat, ad celeritatem itineris dromedariis usos fuisse, quos velociores esse ad cursum equis Nysseis Aristoteles tradit. » Et iisdem fundamentis ad id utitur

eruditissimus Lamy in *Harmon. Evang.*, lib. 1, cap. 11, § *Ambigitur*; ique tenent plurimi alii brevitate gratia omisi.

(6. An eodem anno, et die tria illa miracula contigerint, quæ in die Epiphaniæ ab Ecclesia recoluntur, ipsa dicta die sic in ejus Officio canente: « Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus. Hodie stella magos duxit ad præsepium: Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: Hodie in Jordane a Joanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos. » Eadem die sexta Januarii contigisse magorum adorationem, ut mox diximus, et baptismum Christi, est vetus Ecclesiæ traditio, et fere communis sententia, ut tradit eruditissimus card. Baronius *ad annum Christi* 31, n. 18, ibi: « Quo vero ad mensem, et diem, quibus baptizatus est Christus, spectat, id factum esse sexta Januarii die, ut ex communi, et traditione antiqua Eusebii Pamphili ad Marinum scribens testatur. Confirmat hoc ipsum Hieronymus, ac denique omnes scriptores ecclesiastici, uno duntaxat excepto Epiphano, ut vidimus; qui sicut audiendus non est, dum ait, Christum natum sexta Januarii, ita nec dum dicit, baptizatum esse sexto Idus Novembris: cum et eidem contradicant Ægyptii, licet de die Natali Domini æque ipsi consentiant. » Sicque tenent etiam card. Gottus, Graveson, Serry, Sandinus, Tillemontius, Honoratus a Sancta Maria allegati, et secuti a Lambertin. *loc. cit.*, n. 58, alique plurimi. Major controversia est, an eadem die 6 Januarii contigerit etiam aquæ conversio in vinum; quod negant non pauci, et ipsemet Baronius *ad annum Christi* 31, r. 36. Suarez autem, ne totam hanc rem dubitationibus implexam omnino relinquat, affirmat eadem sexta Januarii die, et magos Dominum adorasse, et Jesum fuisse baptizatum, et aquam in vinum fuisse conversam. « Quocirca ne cogamur omnia in dubium vocare, sentiendum existimo baptismum Christi, et alia etiam duo mysteria sexta die Januarii facta esse: » Sic III. p., tom. II, disp. 26, sect. 1. Quam sententiam quod eadem die 6 Januarii contigerint omnia dicta tria miracula, quamvis non eodem, sed diverso anno, jam tradiderat S. Thomas lect. 1, in c. II *Joannis*, ibi: « In festo Epiphaniæ trium miraculorum commemoratio fit, scilicet adorationis magorum, quæ

fuit primo anno nativitate Dominicæ, et baptismi Christi, quo baptizatus est eodem die (sexto Januarii) revolutis triginta annis; et de nuptiis, quæ factæ sunt eodem die (sexto ibidem Januarii) revoluta anno. »

(7. Utcunque tamen res sit, solus Deus certo id scit, et nobis adhuc incerta remanet vera dies præsertim miraculi conversionis aquæ in vinum. Unde S. Maximus, *Serm. de Epiphania*, sic tradit: *In hac, dilectissimi, celebritate, sicut ratione paternæ traditionis instruemur, multiplici est festivitate letandum. Ferunt enim Christum hodie vel stella duce a gentibus fuisse adoratum, vel invitatum ad nuptias, aquam vertisse in vinum, vel suscepto a Joanne baptizate, Jordanis fluentia consecrasse. Sed quid potissimum præsentis hoc factum sit die, noverit ipse qui fecit.* Hinc Baronius advertit quod, quamvis Ecclesia canat: *Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias*, nihil aliud his verbis velit intelligi, quam eo die fieri ejus miraculi commemorationem, quo aqua in vinum conversa fuit; ut de omnibus tribus miraculis sentit etiam Pererius, in *Joan.*, cap. 2, disp. 2, n. 8, ibi: *Illud hodie non referunt ad tempus rei gestæ, quasi sensus sit, eo die tria illa mysteria esse facta* (ideoque etiam miraculum conversionis aquæ in vinum), *sed refertur ad commemorationem et celebrationem eorum trium mysteriorum eo die fieri solitam, ut sit eorum verborum sensus: hodie colitur et celebratur commemoratio istorum trium festorum.* Quod et tradit Joannes Baptista Casalius, *De veteribus sacris Christianorum ritibus*, edit. Rom. ann. 1647, pag. 119, ibi: « Rectissime antiqua sancta mater Ecclesia hæc tria hac eadem die memorat, nempe adorationem gentium, manifestationem in baptisma, miraculi exhibitionem in Cana, non diebus attentis, quibus singula contigerunt, sed consideratis rationibus, quod his maxime tribus divinitas Salvatoris universo orbi manifestata est. » \* Ad quid si historia omnis Magorum in Matthæi Evangelium intrusa foret? Ita quidem Antonius Collins impudentissime asseruit; sed ab eodem Fassonio Scholarum Piarum erudito theologo, pro meritis castigatus fuit in dissertatione, *De veritate atque divinitate historiæ Magorum, quæ est apud Mattheum*; Romæ, 1758 \*.

## MAGIA

Vid. verb. SUPERSTITIO. n. 10 et 11.

## MAGISTER.

## SUMMARIUM.

1. In magistrum assumendus non est, qui formam discipuli non assumpsit. — 2. Docere priusquam doceri præposterum est, impossibile. — 3. Qui magisterii, seu doctoratus gradum præpropere, et immutare suscipiunt, corripiuntur. — 4. Magistro non prodest, quod multoties fuerit approbatus, si aperte indignus sit. — 5. Magistri, doctores, regentes universitatum, vel gymnasiarum, doceant

quascunque scientias, etiam grammatice, et alii cujuscunque artis, ac facultatis professores, sive clerici, aut laici illi sint, tenentur emittere fidei professionem. — 6. Magistri scholarum admitti non possunt, nisi prius de fide et moribus examinati reperiantur idonei, et hoc faciendum est, etiam si magistri sint conducti a magistratu civitatis. — 7. Ipsi tamen magistri examinari possunt ab episcopo in iis duntaxat quæ spectant ad fidem, doctrinam christianam, et bonos mores. — 8. Magistri

non solum in grammatica, et rhetorica, aliisque scientiis adolescentes instruere debent, sed etiam in iis quæ ad religionem pertinent, et ipsos ad bona opera compellere possunt. — 9. Magistri, correctionis causa, possunt moderate castigare discipulos clericos sine incursu excommunicationis. — 10. Cum hac tamen advertentia, quod si ipsi magistri sint laici, possunt solum sic corrigere, et punire discipulos clericos in minoribus, non autem in majoribus ordinibus constitutos. — 11. Si autem et ipsi magistri sint clerici, possunt sic corrigere, et leviter punire discipulos suos etiam in majoribus ordinibus. — 12. Magister clericus majorem habet potestatem in discipulum, quam Pater in filium: \* Sed vide *Addit. Casinenses* in fine \*. — 13. Magistri quoad discipulos peccant in pluribus, quæ assignantur. — 14. Magistri, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum præjudicio curant ad se trahere illos discipulos, qui aliorum schola frequentabant, peccant graviter: et tenentur

(1. In magistrum assumendus non est, qui formam discipuli non assumpsit, textu expresso in cap. *Cum in magistrum* 49, De electione, ibi: *Cum in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse non novit*, etc. Fagnan., lib. 1 *De cr.*, in cap. *Cum ad nostram* 37, De electione, n. 2, et alii communiter. (2. Docere enim prius quam doceri, præposterum est, et impossibile, textu expresso in cap. *Ordinatus* 4, dist. 59, ibi: *Debet enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit...* Qui minime litteris operam dederit, præceptor esse non potest litterarum. Baldus in cap. *Cum in magistrum* 49, De electione, in principio, Fagn., *ibid.*, n. 2, et alii passim. (3. Unde merito corripuntur, qui magisterii, seu doctoratus gradum præpropere et immature suscipiunt, nam, ut expresse dicitur in c. *Miserum* 4, dist. 61: *Miserum est eum ferri magistrum, qui nunquam fuit discipulus*. Fagnanus in cit. cap. *Cum in magistrum*, n. 2. (4. Nec magistro prodest, quod multoties fuerit approbatus, si aperte indignus sit; arg. cap. *Qui de mensa* 11, dist. 37, et c. *Cum sit ars*, 14, De ætat. et qualitat.; Vincent. et Collector. cum Fagnan., in cit. c. *Cum in magistrum*, n. 4. (5. Magistri, doctores, regentes universitatum, vel gymnasiarum docentes quascunque scientias, etiam grammaticam, et alii cujuscunque artis, et facultatis professores, sive clerici, aut laici illi sint, tenentur emittere fidei professionem: Pius IV, constitut. incip. *Sacro sancta*.

(6. Magistri scholarum admitti non possunt, nisi prius de fide, et moribus examinati reperiantur idonei, et hoc faciendum est, etiamsi tales magistri sint conducti a magistratu civitatis. Conc. Colonien. III, tit. *Quoad institutionem*, cap. 1. (7. Ipsi tamen magistri examinari possunt ab episcopo in iis duntaxat, quæ spectant ad fidem, doctrinam Christianam, et bonos mores, ut declaravit sacr. cong. Concilii apud Aldan. in *Compend. canon. resolut.*, l. III, tit. 4, n. 10; Barbos., in *Summa apostolica. decis.*, verb. *Magister*, n. 5.

(8. Magistri, non solum in grammatica, et

ad restitutionem juxta proportionem boni impediti, et mali causati. — 15. Non peccant autem magistri contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciunt sine ulla vi, fraude, mendacio, et criminatione, etc. — 16. Imo in tali casu Lugo, et alii eos excusant etiam a peccato mortali. — 17. Magistri, et doctores laureati æquiparantur nobilibus. — 18. Tales magistri et doctores censentur in dignitates constituti. — 19. Sunt exempti a communibus oneribus. — 20. Si evadant rei criminis, mitius puniuntur, quam alii. — 21. In assumendis dignitatibus, et beneficiis ceteris præferri debent. — 22. Nomine magistrorum et doctorum veniunt etiam *licentiatii*, unde et isti gaudent supradictis privilegiis. — 23. Licentia qui sint, et dicantur? — 24. Baccalarii qui sint, et dicantur? — 25. Baccalarii unde sic dicantur? — 26. Baccalarii ab aliis vocantur. \* Subnectuntur *Add. Casin.* ubi plura ad rem \*.

rhetorica, aliisque scientiis adolescentes instruere debent, sed etiam in iis quæ ad religionem pertinent: et sic adolescentes ad missas, divina officia, et prædicationes audiendas non solum hortari, sed etiam compellere possunt; ea vero, quæ sunt contra bonos mores, aut quæ ad impietatem inducere possunt, legere, vel docere omnino prohibentur; Leo X, const. 6, incip. *Meretur*.

(9. Magistri, correctionis causa, possunt moderate castigare discipulos clericos sine incursu excommunicationis; cap. 1, cap. *Ex tenore*, 10, et cap. *Cum voluntate*, 54, De sent. excomm. (10. Cum hac tamen advertentia, quod si ipsi magistri sint laici, possunt solum sic corrigere et punire clericos in minoribus constitutos, non autem in sacris et majoribus ordinibus, textu claro in cit. cap. *Cum voluntate*, 54, De sent. excomm. (11. Si autem et ipsi magistri sint clerici, possunt sic corrigere, et leviter punire discipulos suos etiam in sacris, seu majoribus ordinibus constitutos, ut ex cit. cap. *Cum voluntate*, colligunt Hostiens., *ibid.*, n. 8, allegans plures canones, Joann. Andræas *ibidem*, n. 8, Ancharanus, *ibid.*, num. 6; Card., *ibid.*, n. 3; Butrius, *ibid.*, n. 22; Felin., *ibidem*, circa med., vers. *Secus a prælato, vel a magistro*; Fagn., *ibid.*, n. 32, et idem tenet *Glossa* in c. 1, ver. *Et a magistris*, caus. 35, q. 5. (12. Hinc magister clericus majorem habet potestatem in discipulum quam pater in filium, quia magister potest corrigere, et leviter punire discipulum clericum etiam in sacris, seu majoribus ordinibus constitutum, pater autem potest punire filium solum in minoribus existentem, et nondum in majoribus constitutum, ut *Glossa* in d. cap. 1, vers. *Et a magistris*, Fagnan., *loc. cit.*, n. 33, et alii.

(13. Magistri peccant, si profectum discipulorum in litteris non sedulo promoveant, sed potius negligant. Si non satis studeant ipsi, ut suo officio ex integro cum discipulorum profectu satisfaciant. Si a discipulis exigant stipendium majus justo, quam qualitas gymnasii ferat, aut consuetudo permittat. Si doctoratus, seu magisterii lauream, seu insignia negent dignis, et indignis con-

ferant. Si sanam et catholicam doctrinam bonis moribus conformem non tradant discipulis, eorumque spirituales profectum non promoveant, sed potius eorum peccata dissimulent, et non corrigant, nec impediant, cum possunt. Sic expresse cit. const. Leonis X incip. *Meretur*.

(14. Magistri, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum præjudicio curant ad se trahere illos discipulos, qui aliorum scholas frequentabant, peccant graviter, et tenentur ad restitutionem, juxta proportionem boni impediti, et damni causati, quia tales nedum peccant contra charitatem, sed etiam contra justitiam. *Communis*. (15. Non peccant autem magistri contra justitiam, nec tenentur ad restitutionem, si id faciant sine ulla vi, fraude, mendacio, et criminatione, sed solis communibus mediis persuasionis, consilii, precum, et hujusmodi, absque intentione alios offendendi; quia tales utuntur jure suo, quod habent ad alios persuadendos in sui utilitatem: nec alii habent jus strictum ad illos discipulos, sicut enim poterant illi sine injustitia sponte sua recedere, sic possunt sine injustitia suaderi; Sanchez lib. II *Consil.*, cap. 3, dub. 3, n. 2; Lugo, tom. I, *De justitia et jure*, disp. 18, n. 109, ubi dicit hanc esse veriore sententiam; La Croix lib. III, p. 2, n. 81, et alii. (16. Imo Lugo, *ibid.*, n. 111, eos excusat etiam a peccato mortali, quamvis cum aliorum præjudicio curent ad suam scholam trahere eos, qui scholas aliorum frequentare solebant, quia charitas non obligat ad consulendum bono proximi cum magno proprio incommodo. Si enim peccarent mortaliter, ut volunt plures cum Sanchez, l. c., n. 5. « Væ, dicit Lugo, væ, magistris et concionatoribus, qui omnibus artibus, et mediis utuntur, ut scholares, vel auditores sibi accumulent, etiam cum præjudicio omnium concurrentium; imo tunc majorem æstimant suam gloriam, quando ex schola, vel audientia aliorum retrahunt scholares, vel auditores ad suam, quod quidem faciunt, et advocati, procuratores, medici, chirurgi, tonsores, artifices, mercatores, alique similes, quos omnes, si absque vi et fraude id faciant, non debemus facile peccati mortalis reos dicere. » Sic recte concludit Lugo, *ibid.*; La Croix, l. III, p. 2, n. 81, et alii.

#### Nota Romani theologi.

Duo hic sunt, quæ cum ethica Christiana hæere haudquaquam posse videntur. Primum, quod ab omni sint culpa immunes, ac justitiam nullo modo lædant, qui communi, hoc est, usu frequentata arte, ab aliis magistris scholares evocant, ut majorem sibi numerum discipulorum acquirant. Alterum vero, quod a lethali culpa excusari universim possint magistri, concionatores, alique, qui etiam cum aliorum damno scholares, auditoresque ab aliorum ad proprias scholas trahant; nam ethica Christiana inanem gloriam, veluti capitale crimen detestatur, horret ea, quæ odia, et inimicitias nota sint parere; ac generatim vetat aliis fieri, quæ

nobis fieri nolumus. Ubi vero in magistro communi arte procurante alterius discipulos ad se trahere, inanis gloria deesset? Illa enim uteretur arte, ut se supra illos efferret, quorum discipulos ad se traheret: atque ita sane res appareret, quæcunque interea foret illius intentio. Præterea nota res est, hac via in partes scholares, auditoresque scindi, ac odia excitari, fovique inimicitias. Id enim vix quidem contingere solet, quin alterius scholares, auditoresque de proprii magistri ac delecti concionatoris præstantia contendant, et quin unum laudibus efferre et deprimere alterum studeant. Scimus denique magistros, concionatoresque ægre admodum ferre, aliorum arte discipulis, auditoribusque privari, ac satis constat de hoc, veluti de maxima injuria, passim conqueri. Potestne sine culpa fieri, quod aliis maxime displicet? Nunquid Jesu Christi ethica hæc, atque similia probat? Imo improbat in unoquoque Christiano. Vide ergo, num in magistro et concionatore id omni vacare possit culpa. Si enim ex officio virtutem docere, prædicare, et inculcare tenetur verbo et exemplo, quod leve in aliis, in iis grave peccatum erit. Ait Lucius, hos justitiam non lædere, at lædunt charitatem, et quidem non sine scandalo, ut ex dictis liquet: Imo et justitiam quoque; injuria enim magistro fit, dum ipsi invito, ac sine ipsius culpa, subtrahuntur discipuli; est enim in possessione illorum, ac recedendo ab ipso, ut ad alium accedant, læditur illius existimatio, ac jus quod ad hanc famam habet. Fac deinde præjudicium, et damnum inde sequi, quis eos a gravi culpa excusabit? Ait Lugo: « Væ magistris, et concionatoribus, etc. Quorsum hæc? Quia passim ita agunt, etsi passim ita agunt, passim peccant, et graviter, quia charitatem lædunt, quia scandalo sunt fidelibus, et discipulis, quos edificare tenentur, quia de industria damnum aliis inferunt; quod, etsi demus non esse contra justitiam, quia molestum quam maxime aliis esse solet, et odia inimicitiasque natum est parere, nunquam sine gravi culpa erit.

#### Responsio auctoris.

Notat hic Rom. theologus duo a me tradita esse *loc. cit.* quæ cum ethica Christiana cohærere haudquaquam posse videntur. Primum, quod ab omni culpa sint immunes, ac justitiam nullo modo lædant, qui communi, hoc est, usu frequentata arte, et sine vi, fraude, mendacio, et criminatione curant ad se trahere discipulos alias scholas frequentantes. Alterum vero, quod a lethali culpa excusari universim possint magistri, concionatores, qui omnibus artibus, et mediis utuntur, ut scholares, vel auditores sibi accumulent etc. Ast hic typographus Venetus vellet scire a nostro theologo, an juxta hæc sua principia, ei licuerit tam avidè et ardentè promovere suam editionem Romanam, ipsam sic magnificando, et Venetam parvipendendo ad retrahendos emptores ab emptione Venetæ, et ipsos attrahendos ad